

P T O L E M . G E O G R A P H .

octuaginta colligit. Rursus cū secundū dies nauigatiōis per mare, à Ptolemaide, quæ est in Troglodytica, ad Prassum promotorium, equinoctiali id australius esse colligit, stadijs uiginti et septem milibus octingētis: ita ut & Prassum promontorii, & Agisymbam regionem, quæ Aethiopum est, et quæ, ut ipse dicit, nec dum Aethiopiam ab australi disternat, ad oppositum eorum producat, qui gelidam inhabitant zonam. Siquidem uiginti septem milia & octingenta stadia, constituunt in equinoctiali partes quinquaginta quinque & tertias quinque, quot & ab altera & quinoctiali parte distat, ac sub similis frigiditatis qualitate, Scythæ degūt & Sarmatæ, qui septentrionalia Mæotidis incolunt paludis. Contrahit igitur & ipse numerū expositorum stadiorū in summam dimidio minorem, hoc est, in stadia duodecim milia, quot fermè hyemalis tropicus distat ab æquinoctiali. Addit & cōtractionis huius solummodo diversiones à vijs rectis, necnō irregularites itinerum causas esse, omis- sis posterioribus & prōprioribus, ex quibus nō solum diminutio necessaria uidetur, sed etiam ut ad tam paruum redigatur numerū. Primum enim de itinere quo à Garama ad Aethiopiam itur, Septimum Flaccum, ait, qui in Libya militauerat à Garamatibus, ad Aethiopes, quini ad meridiem perrexisset, trium mensium spacio peruenisse: Iulium uero Maternū à Lepti magna, quū Garamates ex Garama Aethiopes inuasissent, mēsibus quatuor ad Agisymbam Aethiopū regionem applicuisse, quū iter semper ad meridiem direxisset, quo in loco Rhinocerotes congregantur. Quæ utraque etiam per se in credibilia sunt, et quia Aethiopes intiores, non tantum à Garamatibus segregantur, ut trimestri distent itinere. Quum iam ipsi potius Aethiopes existant, & eundem quem & illi habeant regem. Et quia penitus ridiculū est, incursionem regis contra subditos super unam distantiam solam factam fuisse,

nempe à septentrione ad meridiē: quū gentes illæ, utrinque, & ad ortū & occasum latissime extendantur, ac nullibi eū moras relatu dignas faciſſe. Quia propter certū est, uiros illos falsa numerū classē, aut sic ad meridiē dixiſſe, quem admodum indigenæ dicere consueuerunt in Austrum, aut in Aphricū, pro certiori, eo quod magis notum est ab utentes.

In caput octauum annot.

Voluit Marinus ostendere latitudinem terræ australē terminari sub tropico brumali, conatusq; est id probare duabus profectiōibus, una ter restri, alia nautica. Sed quam inepte id faciat, luculenter Ptolemaeus in hoc capite ostendit, dum Agisymbam interioris Aethiopie regnum secundum illum computum gelidæ subiceretur zone, hoc est, quinquaginta quinque gradibus distaret ab æquatore. Quod autem gelide zone secundum hanc dimensionem subiceretur, patet ex opposito parallelo, qui scilicet quinquaginta quinq; gradibus uersus aquilonē ab æquatore distat, cui subiectiuntur Scythæ & palus Mæotica. Si itaq; Scythæ & Sarmatæ sub Scytharum parallelo habitantes, gelidam inhabitant zonam, utiq; & hi qui uersus austrum quinquagesimo quinto subiectiuntur parallelo, gelidam inhabitabunt zonam, habebuntq; similem aëris qualitatem, quam Scythæ memoratæ habent. Par ratione nauigatio illa reprehēditur, quæ iuxta Marini assertionem à Ptolemaide Troglodytica ad Prassum promontorium facta est. Ceterum Leptis magna in Africa minore inter duas syrtes locum habet, uocaturq; alio nomine Neapolis, habens in longitudine gradus 42. & in latitudine 31. Garama uero est metropolis Garamatum in Libya interiori, habens in longitudine gradus 43. & in latitudine 21. distans scilicet decem gradibus à Lepti magna uersus Austrum. Ptolemaeus Troglodytica est in Aethiopia sub Aegypto, habens in longitudine gradus 66. & in latitudine 16. Agisymba regio est ultra æquatorem, habens in longitudine gradus triginta duo, & in latitudine decem. Prassum promontorium habet in longitudine gradus 80. et in latitudine meridionali gradus quindecim. Porro cum Marinus absurditatem suam cognouisset, molitus est sic euadere, ut stadiorum multitudinem dimidiaret propter itinerum uarios flexus, sed huius unitatem refellit Ptolemaeus.

Eadem